

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Albrecht Joachim Krakevitz von

**Albertus Joach. de Krakevitz, S. S. Theologiæ P. P. ... Non Solum Theologiæ
Positivæ Assiduam Accuratamq[ue] Tractationem Commendat Sed Et Ad
Privatas Disputationes Juxta Theologiam Positivam B. Königii ... Per Instans
Semestre Hybernum Anni MDCCXI. ... Ea Qva Decet Humanitate Invitat**

Rostochi[i]: Typis Joh. Wepplingi[i], [1711]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1771782064>

Druck Freier  Zugang



30.
D. ALBERTUS JOACH.

de KRAKEVITZ,

S. S. THEOLOGIÆ P. P.

OMNIBUS SACRARUM LITERARUM CULTORIBUS GENUINIS

OMNI HONORE ET AMORE PROSECVENDIS

NON SOLUM

**THEOLOGIÆ POSITIVÆ
ASSIDUAM ACCURA-
TAMq; TRACTATIONEM
COMMENDAT**

SED ET

**AD PRIVATAS
DISPUTATIONES**
JUXTA THEOLOGIAM POSITIVAM

B. KÖNIGII,

IN AUDITORIO DOMESTICO SINGULIS MERCURII
ET SATURNI DIEBUS

PER INSTANS SEMESTRE HYBERNUM

ANNI MDCCXI.

PRÆSTANTISSIMIS QVIBUSDAM COMMILITONIBUS

INSTITUENDAS

EOSDEM

EA QVA DECET HUMANITATE INVITAT

ROSTOCHI, TYPIS JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.

ET UNIV. TYPOGR.



T.
515.

1711.



Heologia Positiva, inquit B. Pfeifferus in Thes. Hermen. p. 6. si rem recte affir-
memus, nihil aliud est, quam coordina-
tio conclusionum de fide, è Scriptura S.
recte intellecta deductarum, s. articu-
lorum fidei è Scriptura S. oraculis solide
probatorum. Quem in finem talis
conclusionum de fide facta fuerit
coordinatio? haud multa indiget in-

vestigatione. Manifestum est, dicente Magno Chemnitio in Orat. de Usu & utilitate Locorum Theologicorum, si decet esse aliqua certa forma doctrina, siq; mediocris consensus docentium & dissentientium conservari debet, Ecclesiam non posse tali scripto carere. Est quidem Scriptura S. sufficientissi-
mum gazophylacium, ex quo omnia illa depromi-
possunt, quæ hominem Dei formare eundemq; ad omne
bonum opus perfectum reddere possunt. 2. Tim. III. 17.
Unde merito culpandi, qui, dum Theologiæ vel Docto-
res vel Studiosi salutari cupiunt, Scripturas S. negligunt,
aut aliis studiis non anteponunt; Verum, cum Deus non
Scripturam tantum tanquam omnium credendorum &
agendorum principium nobis gratiosissimè dederit, sed
ministerium quoq; instituerit Ecclesiasticum, ut verbum
pro ratione subjectorum informandorum rite recteque
proponat, interpretetur & à falsis glossis vindicet, Eph. IV.
11. 2. Tim. II. 15. quilibet ultro intelliget, utile non solum
sed & necessarium esse, ut certa quædam extet compen-
diaria forma, in qua justo ordine & convenienti Methodo
ea collecta reperiantur, quæ in omnibus Theologicis ex-
peditionibus vel ipsius Numinis gloriam, vel Ecclesiæ
ædifica-

edificationem promovere possunt. Nolo hic vindicias
cribere pro Theologia Systematica, quam summi Eccle-
siarum nostrarum Theologi, *Chemnitius*, *Carpzovius*, *Fech-
tius*, *Fortschius* alioq; quam plurimi egregie asseruerunt;
potius ejus assiduam tractationē studiosæ juventuti paucis
commendare animus est. Cum enim Studiosi Theol. in
Academiis ad futura officia Ecclesiastica subeunda omni
cura & industria sint præparandi, necessum est, ut Theo-
logiam Positivam ante omnia reliqua studia Theologica
fundamentaliter addiscant. Recte enim dixit B. *Neuman-*
nus; (vid. Præfat. Dn. M. Joh. Gvil. Jani, Ord. Phil. in Acad.
Witteb. Adj. ad B. Viri Theol. Aphoristicam) *Non exigui*
rem operis vel momenti esse, ita analogiam fidei didicisse, ut the-
sin cum argumento in promptu habeas, h. e. cum veram senten-
tiam accurate teneas, tum sufficientibus rationibus illam con-
firmare possis, iis præsertim, quæ in controversia Theologicis
præ ceteris adhibita ignem quasi tentationis sustinuerunt. Hoc
enim fundamento recte jacto, reliqua omnia, quæ ad istud stu-
diorum genus prosequendum ac perficiendum pertinent, facili
negotio superstrui, tum etiam, quid æra lupinis & solidioris
Theologiae dogmata variis novaturientium opinionibus di-
stent, optime dijudicari. Duo autem sunt à Theologiæ
positivæ Studio probè observanda, *Primum*, ut ipsos
fidei articulos, partim quomodo cum fundamento suo,
partim quomodo intra se ē arctissime cohærent, accu-
rate intelligat; hoc enim est analogiam fidei tenere, quæ
omnis Sacrarum Literarum expositionis præcipua est re-
gula Rom. XII. 7. *Secundum*, ut propriam sedem cuius-
vis fidei articuli investiget, ad eoq; non à Theologo-
rum autoritate, sed ab invictis & immotis Sp. S in Scrip-
tura loquentis assertis dependeat. Nostrum qvidem
est audire Theologos, sed nulli mortalium de Scriptura-

rum sensu asseveranti credendum est , nisi hunc vel illum Scripturarum esse sensum, ex ipsis Scripturis ad conscientiam demonstraverit, ut indice quidem homine , Deo tamen Doctore ad salutem sapiamus. Ita magnus gentium Doctor, Divus Paulus , qui, licet ipsum Christum in se & per se loquentem habuerit, Rom. XV. 8. sua tamen simpliciter uti noluit autoritate, sed doctrinam suam semper ex sacris confirmavit Scripturis Act. XXVI. 22. Dicivix potest, quantum damnum emergat ex observandorum horum neglectu. Sunt quidem, qui unam alteram- ve thesin orthodoxam recitare didicerunt , verum quis ejus vel ad generandam in Christum Salvatorem fidem, vel ad eandem confirmandam usus fit , ignorant , hinc in suggestu quidem sunt garruli , imo & in adversarios quandoque duri ; verum neque adversarios convincere norunt neque indoctam erudire plebem . Et, si assertorū rationem reddere tenentur, vel nullas, vel inepta s afferunt probations , mera inter docentes dedecora , in agrum ruralem potius quam Ecclesiasticum ableganda. Cordate proinde non minus quam verè scripsit Chemni- tius in commonefactionibus specialibus dictæ orationis de U. & U. L. T. Quia Ecclesia non gignit suo arbitrio no- va dogmata , sine omni controversia in omnibus locis magna- vis in eo sita est , ut in promptu & quasi in conspectu sint selec- tissima sententia testimoniorum Scripturae, in quibus verus sen- sus cuiusq. loci sine ambiguitate fundatus est. Quia vero non temere miscenda sunt omnia dicta, qua quomodocunq. ad propo- situm per trahi possunt, non inutile est, ex collatione considerare exempla eorum , qui impro priis vel peregrinis testimonitis abuse- sunt, & quid incommodi tales allegationes secum traxerint. Res ipsa enim non modo non explicatur, sed simpliciores pertur- bantur & adversariorum pertinacia magis confirmatur. Ne- que

que existimandum, hoc tantum illorum esse, qui ad eminentiora Ecclesiæ officia adspirant, & Superintendentium aut Professorum munia ambiunt, reliquos, die nur gedachten Dorffpriester oder in kleinen Städten Prediger abzugeben / qualicunque rerum sacrarum notitia contentos esse posse.. Certe Paulus vult ut Ecclesiæ minister quilibet sit διάκονος καὶ ἀπόστολος εἰς τὴν διδασκαλίαν τῆς ιδεανόσης καὶ τὰς ἀπολέγοντας ἰδέγχων Tit. I 9. idq; ideo quia sunt πόλεις ἐπιστόλαι, ματηόλεις καὶ Φρεγαπάται. v. 10. Eadem ratio & nostris valet temporibus, præprimis cum Matæologorum colluvies ipsam Ecclesiam orthodoxam ubivis ferme repleverit, & non amplius lingua peregrina sed vernacula, non uno sed innumeris libris venenata dogmata continentibus, eidem se molestam atque noxiā fistat. Reperies hodie etiam in plebejorum manibus Boehmii, Weigelii, Arnoldi, Dippelii, Rosenbachii aliorumque Fanaticorum, Indifferentistarum atque Swermerorum scripta, ex quibus lectores tot onerantur absurditatibus, ut vel istæ per integros annos ex ipsorum animis & vel omni adhibita diligentia egeri nequeant. Hic opus est, ut animarum Pastor haud vulgariter doctus optimisque instructus argumentis, tot opinionum monstra fortiter debellare sciat, præprimis cum præcipuae maximeque fundamentales veritates theologicæ, imo ipsa religionis nostræ anima à noxiis his spiritibus convellantur & pessundentur. Qvisquis ergo animo ab omnibus præjudiciis libero hæc omnia contemplatus fuerit, facile cum B. JOH. FRIDERICO KÖNIGIO, Primario quondam hujus Academiæ nostræ Theologo, conlentiet, qui non solum in gratiam proficientium Theologiam positivam Acroamaticam synoptice tractatam conscripsit, sed utilitatem quoque & necessitatem.

cessitatem hujus instituti , optimorum Theologorum ,
Lutheri , Affelmanni & Dorschai , judiciis confirmavit .
Ipse Vir beatus & docendo & disputando , uti ex præfa-
tione libri apparet , Theologiam Positivam exposuit , insti-
tuto certe laudatissimo . Et quod rationem hanc addi-
scendi Theologiam positivam in disputationibus Aca-
demicis , concernit , hoc ipso seculo Dn . Job . Justus Rake
Theol . D . & in Academia Rintheliensi P . P . publicas in
Compendium Theol . Königianum instituit disputationes .
Multo enim felicius in studio proficiunt Theologico ,
qui non saltem ea , quæ à Professoribus per discursum
proponuntur , avidis excipiunt auribus , sed in collegiis
quoque vel Examinatoriis (quale propediem adjuvante
DEO , intra semestre hybernum absolvendum , adjuvante
DEO , aperiam , ita ut horis matutinis Compendium no-
strum Königianum per discursus exponam , pomeridi-
anis vero per examen proposita repetam .) vel Disputa-
toriis , scientiarum suarum Theologicarum invictum
robur acquirunt . Licet enim Theologia nostra recte
dicatur habitus θεοσοθίᾳ i . Thefl . IV . 9 . 2 . Cor . III . 5 , 6 .
minimè tamen excludenda paedie , neque negligenda
funt illa exercitia , quæ supremus omnis Sacræ scientiæ
Doctor , Spiritus S . nobis in sacris literis commendat . Ti-
motheus suam didicerat Theologiam ex frequenti S . Li-
terarum & lectione & tractatione 2 . Tim . III . 14 , 15 .
Berrhöenses quotidie scrutabantur Scripturas : An illis
conformia proponerent Paulus & Silas Act . XVII . II .
Apollo viam Domini edocitus , docens itidem ἀρχιθέας , uberi-
orem Aquilæ & Priscillæ informationem , eandemque
ἀπελεῖσθαι nequaquam aspernabatur Act . XVIII . 25 , 26 .
Et Paulus testatur Ebr . VI . 14 . quod πλείων sit ἡ στρεά τοσο
Φή τῶν Διὰ τὸ εὖν τὸ ἀιδητήρα γνωμασμένα ὕχότων τοσο
Διεκλογή

Αἴσχειοι καλῶ πικάντι. Ex his omnibus patet, quod
& habitus θεοτητοῦ nostra Theologia dicenda sit, modo
observetur, quod θεοδοτοῦ appelletur ratione principii
atque objecti, εἰπιτητοῦ verò ratione pædiæ & admini-
culturum Theologicorum. Ad quam posteriorem clas-
sem etiam referimus exercitia disputatoria tam privata
quam publica, quæ, partim veritatis indagandæ, partim
confirmandæ ergo, sobrie instituuntur, quæ quidem ho-
diernis libertinizantibus ingeniis valde exosæ sunt,
ipsius tamen Christi & Apostolorum exemplo in Eccle-
sia merito retinentur. Modo observetur pium Nazian-
zeni monitum, quod Orat. XXXIII. in laudem Heronis
reperitur. Ubi celebratissimus Pater ita differit:
*Quodsi ratio ipsa languescat, satius utiq. est in ratiocinatio-
nibus harere ac debilitari, dum Spiritum Duce sequamur,
quam impiis dogmatibus facile assentiri, ut nos ex difficul-
tibus extricemus. Contentiosas disputationes, novamq. pie-
tatem ac jejunam sapientiam contemne & quidem magis quan-
tum aranciarum fila, quæ museas quidem irretiunt, cœterum
à vespis crabronibusq. perrumpuntur: Ne dicam a digitis
aut alio quopiam graviori corpore. Hoc unicum nos timere
doce, nimirum ne negotiis nostris disputandiq. subtilitate fidem
perfringamus. Disputatione vinci nequaquam grave & cala-
mitosum censeri debet: non enim omnium est disputatione.*
Cum itaque non rixosas altercationes, sed modestas dispu-
tationes, ad majora in studio Theologico incrementa
capienda, desideraverint quidam pereximii Sacræ The-
ologiæ Cultores, eumque in finem suam mihi exposu-
erint mentem, non potui non laudare ipsorum ausus
præclaros ipsorumque vitæ genere dignissimos, quapropter
& omnem meam ipfis promittere operam, nullus
dubitavi. Ipsimet sibi elegerunt Commititones, quo-
rum

rum eruditio & discendi ardor ipsis certo constaret , &
quo frequentius ingenii sui vires periclitari , suamque
industriam excitare possent , noluerunt , ut extra nume-
rum novenarium disputantes admitterentur , gratulantes
tamen sibi , si Auditores adesse velint & reliqui ex conci-
vium sodalitio : Quem in finem & publico hoc pro-
grammate , omnes promiscue S. Literarum Cultores , de-
center & peramanter invito , ut privatis nostris exercitiis
disputatoriis interesse , suaque præsentia honorifica nobis
affectionem suum benevole testari velint . Instituentur
autem hæc nostra colloquia singulis Mercurii & Saturni di-
ebus , horis à secunda usque ad quartam pomeridianis , ita
ut semper aliquis locus ex Theologia Positiva B. Konigi ad
ventilationem piam æque ac modestam exponatur . Ini-
tium fiet proximo die Mercurii nimirum die 9. Septembr.
Ipsi vero Domini Disputantes per sortem collocari volu-
erunt hoc ordine :

DN. NICOLAUS JUULBYE , Danus.

DN. FRIDERICUS LUDWIG DE MASCAU ,
Eqv Marchicus.

DN. JACOB. CHRIST. ENGELKEN , Anc^l
Pom.

DN. CHRIST. WALTHER , Neo-Sed-Pom.

DN. ÆGIDIUS BOHM , Stargard. Pom.


DN. POLYCARPUS LYSERUS , Hannover.

DN. M. JOH. GEORG. LUGER , Guntzenh.
Francus.

DN. JOH. CHRIST. KLENTZ , Sverin. Mecl.

DN. JOH. JACOB. STROBY , Gedanensis.

DEUS cœpta nostra gratosissime
secundet ..





omovere possunt. Nolo hic vindicias
ologia Systematica, quam summi Eccle-
si Theologi, *Chemaitius*, *Carpzovius*, *Fech-
tliq*; qvam plurimi egregie asseruerunt;
am tractationē studiosæ juventuti paucis
mus est. Cum enim Studioſi Theol. in
ura officia Ecclesiastica subeunda omni
ſint præparandi, neceſſum eſt, ut Theol.
ante omnia reliqua ſtudia Theologica
addiſcant. Rechte enim dixit B. Neuman-
Dn. M. Joh. Gvil. Jani, Ord. Phil. in Acad.
. Viri Theol. Aphorifticam) Non exigui-
enti eſſe, ita analogiam fidei didiciſſe, ut the-
ologo promptu habeas, b. s. cum veram ſen-
tentias, tum ſufficientibus rationibus illam con-
traferim, que in controverſia Theologicis
a ignem quaſi tentationis ſuſtinnerunt. Hoc
ecte jacto, reliqua omnia, que ad iſtud ſtu-
quendum ac perficiendum perteſſent, facili-
, tum etiam, quid era lupinis & ſolidioris
a variis novaturientium opinionibus di-
dicari. Duo autem ſunt à Theologiae
probè obſervanda. Primum, ut iſpos
artim quomodo cum fundamento ſuo,
intra ſe arctiſſime cohæreant, accu-
oc enim eſt analogiam fidei tenere, quæ
Literarum expositioñis präcipua eſt re-
. Secundum, ut propriam ſedem cuius
investiget, acoq; non à Theologo-
ſed ab invictis & immotis Sp. S in Scri-
p-assertis dependeat. Noſtrum qvidem
ogos, ſed nulli mortalium de Scriptura-
rum

) 2